



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda Ecclesiae Paderbornensis

Dietrich <Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1602

Dies abstinentiae.

urn:nbn:de:gbv:23-drucke/s-483a-2f-helmst3

De diebus Abſtinentiæ.

DIES ABSTINENTIAE.

Qui ieiunium coniunctum non habent, ſed tantum ciborum delectum.

OMNES feriæ ſextæ, & dies Sabbathi per annum, niſi feſtum Natiuitatis CHRISTI in alterum horum dierum incidat. Feſtum S. Marci, & tres dies Rogationum ante Aſcenſum Domini. Profeſta item omnia B. Mariæ Virginis, ex pia deuotione, & conſuetudine maiorum, præter profeſtum Aſſumptionis, in quo etiam ieiunandum eſt, quod infra notetur.

Tameſi autem diebus ieiuniorum, & abſtinentiæ, ab eſu carniū ſemper abſtinendum eſt, & ciborum delectus obſeruandus; excuſantur tamen à ieiunio nonnulli ſecundum communem Doctorem ſententiam, vel ob impotentiam, vel pietatem, vel neceſſitatem. Ob impotentiam quidem, ſenes, ſi ſint ſexagenarij; deinde pueri, & adoleſcentes, qui annum vigefimumprimum nondum compleuerunt; ægroti, debiles, prægnantes, & alij, qui ſine periculo valetudinis ieiunare nequeunt; pauperes quoq; qui non habent, vnde integrâ refectionem ſumant; ob pietatem verò excuſantur, Concionatores, Lectores, Confeſſarij, Miniſtri ægrotorum, quando ſimul ieiunare & huiusmodi pietatis officia ſubire non poſſunt; ob neceſſitatem denique excuſantur, qui laborioſis operibus dant operam, quæ vires corporis exhauriunt, vt ſunt fabri ferrarij, murarij, lignarij & ſimiles.

DIES IEIUNIORVM

Quærendi ſunt in Calendario perpetuo, ſub ſine cuiuslibet menſis.

NOTA.

Ieiunia, qui ſeruare tenentur ſecundum Eccleſiæ præceptum, ſemel tantum in die manducant: nec violatur potu moderato, quemadmodum nec reſectiuncula vespertina; quæ tamen medicinz potiùs, quàm cibi loco ſumi permittitur.

Sunt autem docendi rudiores, diſcrimen ieiunij, & abſtinentiæ. Præterquam enim, quod ſobriè ſemper viuendum eſt, etiam ad corporis curam; hoc peculiare ieiunium habet, vt in delectu quoque ciborum, ac eſu piſcium, modum ponat: Abſtinentia verò tantum carniū uſum adimat, & duplicem aliòquin refectionem admittat.

* *

FESTA